

129

D E O D U C E  
MEDITATIO S. EPISTOLÆ

DOMINICÆ I. POST  
EPIPHANIAS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-  
numq; aliquot decisione, ad uberio-  
rem textûs cum opus  
est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M  
*In Regia Aboënsi Academia,*

P R Æ S I D E,

DN. ÆSCHILLOPETRÆO,  
S.S. Theologiæ Doctore & Episcopo Aboënsi,

*Examini subicit in Auditorio Majori horis solitis*

*Addiẽm 3. Maij Anni 1656*

ISAACUS ABRAHAMI *Hermainen*  
NYLANDUS.

Anshelmus in hunc locum.

*Tunc hostia occidebatur, ut homines causa peccati subjecti, morti ostende-  
rentur: nunc quia à peccato sunt liberi, viva offertur in signum  
vita aterna.*

Ambrosius in hunc locum.

*Exemplo corporis docet, non posse nos singulos omnia, quia sumus invicem  
membra, ut alter alterius egeat, ac per hoc, curam nostri invicem  
nos agere debere, nec alterum ali obsistere, quia invicem officijs nos-  
tris opus habemus.*

A B O Æ

---

Impressa à PETRO HANSON/ Acad. Typog.

*Reverendis, clarissimis, eruditione, pietate, morumq̄  
integritate conspicuis V I R I S:*

**Dn. Svenoni Torchilli, Præpo-  
sito & Pastori Lojoensis vigilantissimo, fautori devenerando.**

**Dn. Sigfrido Andreæ Pastori in  
Siundo dignissimo, benefactori ætatem colendo.**

**Dn. Abrahamo Olai Germainen/  
Pastori in Ryrkslåt emerito, patri charissimo, quo vis obsequij  
genere prosequendo.**

**Dn. M. Haquino L. Javelino,  
Syndico Urbis Wiburgensis, affini perdilecto.**

**Dn. M. Johanni Forsenio, desi-  
gnato Successori in Pastoratu Lojoensi, fautori honorando.**

**Dn. Henrico Sigfridi Malme-  
nio, Verbi divini Comministro in Siundo/amico colendo.**

*Dn. Fautoribus, benefactoribus & amicis jugiter  
colendis, Homiliam hanc Sacram, in grati  
animi signum, pro beneficijs in se collatis, per  
quam officiose*

dedicat & offert

**ISAACUS Germainen  
Respondens.**



  
 MEDITATIO S. EPISTOLÆ  
 DOMINICA I. POST  
 EPIPHANIAS.

In Sanctæ & summæ Laudandæ Trinitatis, Patris, filii  
 & Spiritus Sancti nomine.

**M**ulta flagella peccatoris: Sperantem autem in  
 Domino misericordia circumdabit. *Letamini  
 in Domino: Et exultate justi: Et gloriamini omnes  
 recti corde.* *Psal. 32, v. 20. 22.* Quæ verba spe-  
 ctant ad declarationem primi præcepti, ut omnem no-  
 stram spem & fiduciam collocemus in Deum solum, pa-  
 trem Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis in Sa-  
 crificium ordinavit, & in nullam creaturam sive in cælo,  
 sive in terra. Atq; ut hinc omnes, qui confidunt ei læ-  
 tentur in Domino, sint hilares, & glorientur inde; Sci-  
 entes quod impij homines multis calamitatibus etiam  
 subjecti sint, cum nulla spe liberationis. Quare docemur  
 per hæc Psalmistæ verba, ut vicissim cogitemus, quomo-  
 do DEO grati esse possimus, præstare aliquid quod vult à  
 nobis præstari, ut videat nos in illo alacres & vigiles, non  
 segnes & tardos, ut offeramus nos Deo in servitutem  
 quotidie, nec imitemur mundum & ejus ingratitude[m],  
 qui beneficijs quidem fruitur, sed nihil amplius cogitat,  
 quam quod ad consumendum natus esset. Præterea  
 etiam impij insolescunt & superbiunt, ob collata in se be-  
 neficia, aliosq; præ se contemnunt & despiciunt, confi-  
 dentes vel divitijs vel donis; Hoc v. temerè ab illis fit,  
 quod tandem etiam aliquando sentient, magno cum suo

malo, nisi maturè pænitentiam seriam & veram agant.  
Hoc docetur etiam in recitato textu.

**O** Remus a. *DEUM* ut hanc Epistolam ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ, & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem, dicamus igitur Pater noster &c.

TEXTUS Rom. 12, v. 1. seq. ad v. 6.

**O**bscuro vos fratres, per miserationes *DEI*, ut præbeat corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum. Et ne accommodetis vos ad figuram seculi hujus, sed &c.

**S**eriò adhortatur Apostolus in recitato textu, suos auditores Romanos, vocans eos fratres, ut libenter serviant *DEO*, & seipfos ut hostiam totos Deo consecrarent, studentes facere ejus voluntatem, id unum quasi studentes & agentes, ut sint hostia talis, quæ Deo non displicet & abominabilis sit, sed accepta & grata Deo. Quid v. intelligit per hostiam Deo gratam, mox exponit dicens se intelligere rationalem Dei cultum, propter quem segregant se à mundo, dum immutant se per renovationem mentis suæ, ut sic etiam ediscant, quæ sit Dei bona & perfecta voluntas. Deindè subjungit admonitionem ad sectandum modestiam, ut quilibet de seipso modestè sentiat, non plus sibi quam convenit tribuens. Describit etiam mensuram, juxta quam quisq; debet se æstimare, dicens: Pro ut Deus cuiq; distribuit mensuram fidei. Illustrat, quod dicit, similitudine pulcherrima à membris humani corporis, quæ ut unius sunt corporis membra, ita sibi invicem serviunt, & omnia toti corpori per diver-



sa officia; Ita nos, inquit, unum corpus in Christo, invicem verò alterius membra. Admonemur primi præcepti, imò totius primæ tabulæ, ut Dominum sincere colamus corde, lingua & opere. Confirmatur articulus fidei primus de creatione, quod à Deo habemus corpus, animam, & omnia membra, ut Deo propterea gratias agamus & membris nostris etiam proximo serviamus, quia sumus unum corpus in Christo, ergo alter alterius membrum esse debet ad inserviendum mutuò & auxiliandum. Excitamur ad orandum: Fiat voluntas tua &c.

## P A R T E S.

1. *Admonitio Apostolica ad pietatem & rationalem cultum Deo præstandum.*
2. *Itidem est adhortatio, ad cavendum superbiam & fastum & ad modestiam sectandum, ut non ultra suas dotes se efferaat extollatq.*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter, & simpliciter tractare constituimus. *Omnipotens & æternus Deus, pater noster cælestis dilectissimus nobis omnibus benedicas, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.*

## P R I M A P A R S,

In quâ meditamur:

**I. Apostoli propositum in hoc**  
textu. Hoc indicat Apostolus dicens, quod admoneat & hortetur Apostolus suos auditores: vos dilecti fratres. Q. d. video dilecti fratres Romani, opus esse apud vos, non simplici tantum doctrina & informatio-

ne. ad felicem progressum in Christianismo vestro, sed præterea adhortatione. Sicut etiam Scriptura S. ad hoc utilis est. Non vero mihi vitio hoc vertetis, spectat enim hoc ad meum officium, si modò fidelis Servus Christi & ejus dispensator sim, sicuti à vobis & aliis meis auditoribus æstimari volo. 1. Cor. 4. Novi quidem esse inter vos aliquos, qui ita inflati sunt, & turgent suâ scientiâ & aliis donis, ut supervacaneam dicant meam adhortationem, verum scio quid facio, Spiritus Sanctus qui me regit, hoc mihi suggerit, ut vos admoneam.

L. C. 1. Synceri Verbi Dei ministri omnibus modis student suos auditores reddere obedientes & acceptos Dei filios, nunc igitur docent & informant quid credi quid fieri debet, quid non credi, quid non fieri deceat, modo corrigunt, modo adhortantur & admonent, ut cum Paulo omnia omnibus fiant, ut lucrifaciant eos Christo. Non itaq; miretur hoc eorum studium & hos conatus, obligantur ad hoc per concreditum officium, non debent querere ut placeant hominibus, tunc servi Christi non sunt, hoc solummodo operent, ut sistant Christo Sponsam non habentem maculam, quantum in hoc mundo fieri potest. Hoc boni consulere oportet auditores, & duplici eos honore dignos existimare, qui tam fideliter funguntur suo officio. Non persequendi ideo, quod salutaria docent & virtutem defendunt hoc enim auditoribus salutare utileq;: Sed noluitis; Ecce domus vestra deserta erit &c. Valde itaq; est periculosum, cum homo contemnit salutes admonitiones & correptiones quoq; & tunc imminent pænæ. Nunquam enim Deus ullum peccatum & transgressionem ferre potest, quin contemptum verbi sui puniat, minatur etiam se missurum famem in terra, non panis & aliorum

*corpo-*



corporalium, sed famem Spiritualem auditus v. z. verbi sui. Amos. 8. Beati, inquit Christus, qui audiunt & custodiunt verbum Dei.

L. C. 2. Apostolus affirmat & fatetur se accepisse gratiam ad docendum, admonendumq; suos auditores; Non tribuit sibi peculiarem præ aliis industriam & artem docendi & admonendi, sed Deo; Fatetur enim alibi, quod non simus sufficientes ad aliquid cogitandum ex nobis, quod bonum & Deo placens, sed sufficientia nostra ex Deo est, ita quilibet non sibi adscribat, si quid bene gestum dictum vè, sed Deo, qui operatur in omnibus omnia quæ bona sunt,

**II. Ad quos dirigit Apostolus admonitionem.** Hoc exponit dicendo: dico unicuiq; vestrum. q. d. Ego hic nullius personam respicio, sit Magistratus vel subditus, dives vel pauper, juvenis vel senex, vir vel mulier, unicuiq; vestrum dico quod dico. Et ita ostendit Apostolus, quod sit verus Christi servus, dum viam Dei rectè docet & non respicit homines. Quo nomine Legati Phariseorum commendabant Christum, quod non curaret ullum, sed veritatem aperte & manifestè proferret, nec veniam petit ab auditoibus, dum hoc fecit, nec petit ut sibi ignoscant & condonent.

L. C. Auditoribus præscribitur regula, ne ullus illorum scandalizetur, audiens unicuiq; dici, neminem excepi, omnes argui peccati & transgressionis, omnes in multis errare & delinquere, omnibus meditando vitam gratiam, hic nemo seipsum justificat, sicut doctor ille Legis Luc. 10. voluit se justificare, quærendo quis esset

esset proximus, quasi nihil ad eum pertineret, quod dixit Christus: Fac hoc, haecenus non fecisti. Qui habet aures ad audiendum, audiat, quid dicatur. Nam dicit sine dubio, intellexit hunc vel illum in Ecclesia, si sis innocens, age Deo gratias, disce v. neminem contemnere, disce tibi non confidere. Et sic nihilominus habes fructum ex admonitione, si reus sis, si fecisti, ne obdures cor tuum fac pœnitentiam & miseretur tui Dominus. Revocaris in viam, sequere vocantem, ne dormias ulterius. Rom. 13

**III. Modum proponendi adhortationem ab Apostolo servatum.** Dico, inquit, per gratiam mihi concessam unicuique vestrum, ne sapiatis ultra quam decet sapere, sed ita sapiatis, pro ut rectum est Sapere. Hoc est, in rebus religionis & fidei christianæ accuratè videndum, ne quis sibi videatur omnia comprehendere & intelligere, quæ proponuntur credenda. Quædam non cadunt sub rationis censuram, & tamen vera sunt, & stultitia videantur rationi; Unde mox dicit Apostolus, sicut cuique distribuit Deus mensuram fidei. Hoc est, ut mensuram & modum statuit discursibus & disputationibus de mysteriis divinis juxta id, quod fides nostra fatetur; Caro & ratio humana sanior ita sapit in doctrina de Deo, ut dicat unus est Deus, sed mox incidat in crassum errorem, ut statuatur etiam unam in divina essentia personam: Sed fides nostra christiana docet & confitetur tres in divinitate personas patrem, filium & Spiritum S. & quod non tamen tres dii sunt. Pater est Deus, filius est Deus Spiritus S. Deus, & non tamen Tres sunt dii. Sunt alia mysteria quæ, in religione nostra, quæ mensuranda sunt fide ex prædicatione verbi  
nata



nata & data, non vero ex carne & sanguine. Qui itaq; sapientiores sibi videntur in his articulis fidei, utiq; illi quamvis videantur sapere, tamen verè desipiunt qui aliter sapiunt, quam fides nostra docet. Quod si Apostolus etiam loquatur de prohibitione contemptus, orti ex illa sapientia, quam sibi videntur habere præ alijs, in mysterijs fidei; huc quadrat similitudo ab Apostolo usurpata, de multitudine membrorum in uno corpore, & diversitate officiorum in istis membris. Alia sustinent digniora & nobiliora, alia ignobiliora officia, & tamen unum membrum non contemnit alterum. ob indignius vel vilius & ignobilius officium, cum unius corporis membra conspirant in fovendo corpore, & sustentando portando, ducendo, nutriendo.

L. G. Optima hæc mensura nostrarum disputationum in articulis fidei servanda, ut nihil recipiatur & probetur, nisi ad fidem nostram se referat & sit consonum cum ea, ut in omnibus consentiat eum Scriptura S. Tribuamus itaq; Scripturæ illud encomium. Psal. 19. v. 8. seq. ad v. 15.

## IV. Adhortationis Astopolicæ summam.

1. Adhortor, inquit, vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem vestrum cultum, ut colatis Deum, sicut edocti estis more christiano non Ethnico, qui magis est contra rationem, quam juxta rationem sanam. Colite jam Deum ex ratione, juxta rationem, verbo Dei informatam.

2. Dicit: nolite conformari seculo, nolite juxta mundi fallam opinionem Deum colere vel idola colere.

B

3, Vult

3. Vult eos potius reformari in novitate sensus, ut probent, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacita & perfecta,

L. C. 1. Videamus, quando Deum colere volumus adhortatione, gratiarum actione, verbi ejus auditu & sacramentorum usu, ut eluceat aliqua pietas, ut præstemus majorem in his attentionem quid agimus, reverentiam & curam, ut placeat Deo quod agimus, non simus prophani, non tractemus hæc spiritualia quasi mundana & terrestria, meminerimus Deum diligendum, timendum & venerandum, non labijs solum & ore, ut clamemus Domine Domine, putantes hoc satis esse. Tales enim non curat Deus arguens eos, quòd labijs ipsum honorant, cor vero eorum longe absit. Sic Esau reprehenditur, quod res spirituales non tractaverit illa reverentia, quâ oportuit. Ebr. 12. v. 16.

L. C. 2. Non sequenda multitudo in suo errore, videmus pro dolor magnam partem hominum prorsus spernere Dei mandata, dicere suis operibus non est Deus, non est qui requirit quomodo vivemus, non qui retribuit bonum & castigat prævaricantes, Vivunt itaq; ut placet eis, ut describuntur tales Sap. 2. Segregamur ab his, ne trahamus jugum cum infidelibus. Quæ communicatio Be-  
lial cum Christo.

L. C. 3. Nova creatura est christianus, non novum corpus, non novam animam habens, cor & mentem, sed habens novos motus, cor purificatum per fidem, voluntatem & mentem purificatam, volentem servire Deo, non obedire legi membrorum, repugnanti legi mentis renovatæ & purificatæ, non sit itaq; deditus christianus veteribus sordibus & impuritati, non polluat se scortationibus, adulterijs, pugnis, fraudibus & deceptionibus &c. Scit voluntatem Dei bonam & quid placeat



placeat ei, & quid non cupiat. Hanc unice studet exequi, studet itaq; christianus lucere in bono opere, ut glorificetur pater noster cœlestis. Matth. 5.

## SECUNDA PARS.

*In prima parte tractavimus Apostolicam admonitionem ad præstandum Deo rationalem cultum: ita in hac altera parte audiemus, Apostolum adhortantem ad modestiam & veram humilitatem.*

In quâ meditamur:

### I. Causam impellentem &

permoventem Apostolum ad proponendam Romanis hanc adhortationem. Dicit enim se non impremeditatum proponere hanc adhortationem, præmissa deliberatione & quidem aspirante cum primis divina gratia, ut proponeret homini suam adhortationem. Scit enim Apostolus non placere homini hanc adhortationem. Quotusquisq; enim est, qui non vult videri sapiens, prudens &c. Et multi magis possunt præstare & facere, quam ei est concreditum; sed Apostolus dicit se quidem non ignorare hominis ingenium servandū de se plus quam datum & tributum ei est præstare.

L. C. Adhortationes ad auditores non temerè instituendæ ex præconcepto odio aliquo, sed ex bona voluntate & simul divina auxiliante gratia, ut admoniti locum inveniat; idem docet Syrac. cap. 39. v. 1. seq. ad finem capitis.

Auditores proindè cum audiunt ex pio zelo proponi adhortationes, non indignè ferant doceri veritatem, vocari malum malum & bonum bonū. Meminerint sibi etiā dictum: Væ qui dicunt malum bonum & bonum ma-

lum, qui dicunt diem noctem & noctem diem, Esa. 3. v. 20  
Cogitent quomodo effugient iram Dei, non curant  
Deum per suos ministros adhortantem eos. Audiunt  
conquerentem Deum: tota die expandi manus meas ad  
populum inobedientem & rebellem. Exprobrat Chri-  
stus Judæis ingratitude & inobedientiam erga suum  
Evangelium Matth. 23. dum dicit: Hierusalem Hierusa-  
lem quæ occidis Prophetas & lapidas missos ad te, quo-  
ties volui congregare vos, sicut gallina congregat  
pulos suos.

## II. Quomodo compellat

*Romanos. Alloquitur eos, appellando eos fratres, ad-  
hortor enim vos fratres &c. Fratris vox, amica  
vox est. Sumus omnes fratres respiciendo ad crea-  
tionem, quod omnes à Deo originem trahamus per pa-  
rentes, & quidem communi propagationis modo. Ita  
Malac. 2. dicimur omnes habere unum eundemq; pa-  
trem Deum, inde sequitur omnes esse fratres. Su-  
mus omnes fratres Christi, Christus omnium nos-  
trum frater, Sumus coheredes Christi. Et sine  
dubio Apostolus vult revocare Romanis in memori-  
am, suam & illorum in Christo fraternitatem. Relin-  
quit etiam Apostolus modestiæ suæ egregium exem-  
plum, quando ille licet magnus Theologus, qui didicit in  
tertio cælo suam Theologiam, audivit verba quæ elo-  
qui non ausus sit, & tamen vocat eos, qui discipuli ad-  
huc videbantur in fide Christi, fratres, Nec hic fecit di-  
stinctio-*



*inctionem inter superiores vel inferiores, omnes aequaliter nominat fratres. Nec hic negligit Apostolus mulieres in illa Ecclesia, licet nominet fratres, nam etiam ad illas spectat hæc adhortatio, ut & illæ offerent Deo rationalem cultum, ut etiam illæ de se modestè sentiant, ne superbiant.*

L. C. Christiani fratres sunt, doctores & auditores unum eundemq; patrem habent Deum, creatorem omnium visibilium & invisibilium. Quod v. Deus alios voluit esse doctores, alios v. auditores, inter hos fratres, ideoq; ejus dispensationem esse liberam relinquendam. Non ideo contemnant auditores suos doctores, quod sint eorum fratres. Doctores diligant suos auditores ut suos fratres. Paulus informans servos Christianos habentes Christianos Dominos, ne inde superbiant, quod sint etiam per Evangelium & fidè fratres in Christo, ne sic insurgant contra suos Dominos, tu es meus frater facio quod volo, æq; liber sum ac meus Dominus; potius vult Apostolus eos sic concludere: ago Deo gratias, quod habeo Dominum Christianum, qui non erubescit agnoscere me pro fratre in Christo. Alij Domini, qui non sunt Christiani, servos suos habent ut bestias ferè. Bonus servus ita se gerat: dabo operam ut meus Dominus sentiat meam diligentiam

& fidelitatem. cogitandú itaq; ferò de nomine fraternitatis, quod verè simus in Christo fratres & sorores, amemus itaq; nos invicem, ut fratres sororesq; decet. Sic Paulus dicit servum Philemonis Onesimum profugum & in Christum credentem, non amplius ut servum recipiendum sed ut fratrem diligendum. Ad Philem. v. 16. Turpe est audire illud: fratrum gratia quoq; rara. Ita proh dolor, invidia & odium occupat animos hominum, ut qui deberent esse charissimi, fiant inimicissimi. Christiani hìc se corrigant, meminerint se invicem esse fratres, habere eundem patrem cœlestem, quem quotidie invocant; Pater noster; habent eundem Dominum Jesum Christum, quem vocamus omnium nostrum Dominum, dicimus enim: Per Dominum nostrum Jesum Christum. Mansvetè & amicè recipiamus ad nos eos, qui lapsi sunt, & redeunt per veram seriamq; pœnitentiam. Qui stat, videat ne cadat. Qui hætenus rixis & contentionibus fatigarunt se invicem, redeant in gratiam, colant sinceram fraternitatem. Est gaudium in cœlis super peccatore resipiscente, est etiam gaudium sine dubio in cœlo, de duobus qui litigabant & contenderint in judicijs, vel privatim se invicè odio habuerint, in gratiam & fraternitatem redeuntibus. Concordia res parvæ crescunt discordia res maximæ dilabuntur.



### III. Quam seriò Apostolus

adhortatur suos fratres Romanos. Hoc indicatur ab Apostolo cum dicit: Adhortor vos fratres per misericordiam Dei. Hoc est, tanti refert, ut faciatis id quod sva-  
deo, ad quod vos adhortor, ut nisi hoc feceritis, sciatis D E U M vobis misericordem non fore, non velit vobis misericordiam dare indie, quo opus habeatis misericordiã ejus. Vel ita potest se habere sententia A-  
postoli: adhortor vos fratres, ut faciatis quod hortor pro-  
pter misericordiam, quam Deus vobis præstitit & abundè declaravit vocando, vos ad Evangelium JESU Christi.

*L: C. Ut Deus nobis sit misericors semper ma-  
ximoperè laborandum est, ideoq; sine omni tergiver-  
satione, excusatione faciendum quod Deus precipit, si-  
ve ad primam sive ad secundam spectet tabulam: sive  
ut diligamus Deum super omnia, sive ut diligamus  
proximum nostrum sicut nos ipsos. Opus est miseri-  
cordia Dei dum surgamus, ut custodiat nos per totum  
diem, ut nobis beneficiat, cum cibum sumimus, ut sen-  
tiamus nos inde refectos & saturos & bene pastos, ne  
inde morbos contrahamus; cum quid operis aggredi-  
mur, opus est misericordia Dei, ut fauste & feliciter  
procedat, cum iter instituimus ad misericordiam Dei  
confugiendum, ut adjungat bonum socium, sicut ad pre-  
ces Tobia, filio Angelum Raphaelem misit, ad matri-  
monium ineundum. In hora mortis maximè miseri-  
cordia Dei opus est, ut sentiamus in pectore nostro so-  
latium, audiamus in corde nostro: Hodie mecum eris*

*in para-*

in paradiso. Libenter itaq; misericordiã exerceamus erga egen-  
tes & miseros, sicut pater vester, inquit Christus, cœlestis misericors  
est, date & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis, non judi-  
catis & non judicabimini.

**C**lementissime Deus pater cœlestis, qui dona tua  
hominibus pro tuo beneplacito, & illorum tempo-  
rali & æterna salute distribuisti. Humiles te roga-  
mus, ut gratiam nobis largiaris, his tuis donis rectè  
utendi, ut nobis illa prosint, & proximo non noceant,  
nec sint iufrugifera. Per Dominũ nostrũ Iesum Christum, Amen.

**B**enedictio & claritas, & sapientia & gratiarum actio, &  
honor & virtus, & fortitudo Deo nostro, in secula seculo-  
rum, Amen. Apocal. 7: 12.

## QUÆSTIONES.

I. Quid Apostolus per corpora indigitat? R.

Corpora autem non vocat ossa tantum & cutem,  
sed totam massam, quã constamus: & eo quidem nomi-  
ne usus est, quo melius designaret omnes nostras partes  
per Synecdochen. Nam membra corporis sunt exequen-  
dis actionibus instrumenta. Alioquin requirit à nobis  
integritatem non corporis modò, sed animæ quoq; &  
spiritus. ut I. Testal. 5. v. 23.

II. Quid significat vocabulum mundi? R.

Vocabulum mundi, cum multas habeat significatio-  
nes, hic pro hominum ingenio ac more capitur, cui  
non nisi causa conformari nos vetat. Nam cum totus  
mundus in maligno sit positus, nos exuere convenit quic-  
quid habemus hominis, si volumus Christum verè in-  
duere. Ac ne id dubium sit, ipse exponit per contrari-  
um, ubi jubet nos in novitatem mentis transfigurari. U-  
sitatæ enim sunt in scripturis istæ antitheses, quibus res  
clarius exprimitur.